Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO IX.

ANTI-COPPENSTEINIANA DE BAPTISMO.

RESPONDENTE

M. HIERONYMO Schultheiß / *Norimbergense.*

THESIS I.

ORdine examinandum venit *Cap. 9. Spongiæ Coppensteinianæ*, quod est de *Baptismo*, quem conglobatis conjuratisque Castris *Pontificii & Calviniani* infestant, oppugnántque, uti in ipsa ostendi *Harm.* Videamus quid contra eandem conetur excipere

COPPENSTEIN. *pag.* 51.

CAP. IX. De Baptismo.

HIMM. Harm. I. utrique negant infantes baptizatos habere Fidem. De *Pontificiis* apparet ex *Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 1. &c.* De *Calvinistis patet, &c.*

SPONG. *Fingis in Re & Teste. Vide ibid. in Bellarmin. & cap. 10. cum justificentur ex fide infusa, actúq; baptismi susceptí. Vide supra Cap. 7. Harm. 2.*

APOLOGIA.

2. *Me Rem, me Testem nunc fingere, fingis iniquè,*
O Coppensteini, quæ te dementia cepit?

Res seu *Quæstio* est: *An Pontificii infantibus baptizatis denegent ac derogent Fidem actualem?* Affirmo, sed non sine Teste, quorum Princeps est *Bellarm.* qui Testis ita loquitur l. 4. *de Baptis. c.* 11. *Infantes* non *habent Actualem fidem.* Ibid. c. 10. (ad quod provocat hîc *Coppenstein*) §. ult. *Tertia sententia Catholicorum est: Infantes* non *habere Fidem actualem, nec tamen omni Fide carere: sed habere fidem Habitualem, & præterea credere fide aliena, & ipsa Baptismi susceptione.*